Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 999
Quelle:
Copyright:

numeratio ita, ut Sermo in edit. XXV. fit nobis XXVI. atque ita deinceps, ut in pluribus *Mſſ.* a *Mabillonio ibid.* citatis reperitur.

Ad calcem noſtri minuto ſed συγχρονῳ elegantique charactere legas: *Ymnus Bernhardi clarav. quem fecit rogatu domni Sigehardi abbatis in wihenſtefen media XLma canendus. Sigehardus* in ſerie Abbatum Monaſterii *Weichenſtephanenſis* O. S. B. prope *Friſingam* nullus comparet. Eſt tamen *Sigemarus* inter annos 1138 — 47. quem T. IX. *Monument. Boicor.* Traditiones plurimae loquuntur, quique in comitatu *Conradi* Regis, aut *Ottonis* Ep. *Friſingenſ.* facile *Francofurti* aut *Spirae* amicitiam cum *Bernhardo* contrahere potuit. Itaque Librarium in nomine lapſum puto. Quid vero jam *Mabillonio* faciemus T. V. edit. ſuprac. *col.* 891. Metrica omnia a *Bernhardo* abjudicanti? Nimium fidenter dicemus pronunciaſſe: *Ciſtercienſes nihil admittebant, quod metricis legibus coercetur;* nec perſuadebimus nobis, *Carolum de Viſch* Priorem *Dunenſem* Ordinis ſui uſus adeo ignoraſſe, ut in *Biblioth. Ciſterc.* p. 45. non unum modo Rhythmum ſub *Bernhardi* nomine vulgaret. His igitur et ſequens a me repertus accedat:

Amore ſenſus erige
Ad Te, largitor veniae!
Ut ſias clemens cordibus
Purgatis inde ſordibus.
Benigne multum Domine!
Tu lapſum ſcis in homine.
Infirma eſt materia;
Verſamur in miſeria.
Cauſa Tibi ſat agnita,
Nulla mens eſt incognita.
Aufer a nobis omnia
Fallentis mundi gaudia.
Dives pauper effectus es,
Pro nobis crucifixus es,
Lavans ex tuo latere
Nos munda a vita vetere.
Externi huc advenimus,
In exilio gemimus.
Tu portus es, et patria,
Duc nos ad vitae atria.
Mundum cum pompa ſpernere
Da nobis, in Te vivere,
Remiſſio et venia!
Captare fac coeleſtia.
Hoc ut poſſimus, Domine!
Praeſta in Tuo nomine,
Sine quo labor deficit,
Qui nihil digni efficit. Amen.

CCCCXXXI.

R. 3077 Codex membraneus lat. Folior. 165. ejusdem rationis cum praecedente, cujus *Pars* II. eſt, reliquos omnes in *Cantica Sermones* ordine, ut in Editis, complectitur, uno tamen plures, atque adeo LXXXVII. cenſens ob cauſſam in ſuperiore Codice memoratam. Exemplar totum eo ſincerius, quo vicinius Autoris beati temporibus.

II. *fol.* 102. *Incipiunt alij quidam Sermones eiusdem.* Nolim quidem vadem praeſtare de omnibus, indubitatos tamen praetereo. *Fol.* 112. p. 2. occurrit *Tractatus beati Bernhardi ſuper ſymbolum apoſtolo-*